

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Bossii Chronica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

[CCXLIV]

ad tuas ædes ultro & alacriter properantem , tanquam ab ipso Platone ; velut ferrum a lapide quodam Herculeo raptum , ut penes te , Magnanime Laurenti , unice litterarum Patrone , una cum Platone suo felicissimo vivat . Audi ergo feliciter Plotinum de omnibus philosophiaæ misteriis apud te cum Platone loquentem . Sed antequam hunc auscultes , Porphyrius pius ejus discipulus tibi auscultandus erit , vitam , mores , gesta magistri & brevissime simul & verissime narrans . Cujus historiam Angelus Politianus noster alumnus tuus , acerrimo vir judicio , tam orationem quam philosophicam esse censet , propterea tibi admodum placitaram . Denique non solum audi feliciter , sed etiam felicissime vive . Et quantum nos amas , dilectissime Laurenti ; tantum , precor , nostrum ama Valorem , Philippum , inquam , egregium virum & Platonicae sapientiae studiosum , & te ardenter amantem .



B O S S I I C H R O N I C A .

Mediolani per Antonium Zarotum MCCCCLXXXII.

*Donati [1] Bossii Causidici & civis Mediolanensis , gestorum , di-
ctorumque memorabilium , & temporum ac conditionum , &
mutationum humanarum ab orbis initio usque ad ejus tempora ,
Liber ad illustissimum Principem Ioannem Galeazium Medio-
lanensem Ducem sextum .*

Quamvis infinitus causarum cumulus , rerumque forensium labor assiduus , in quibus me versatum non mediocriter inferior , animum a scribendis componendisque annalibus admire videatur , fructumque otii denegare his in artibus , quæ a foro alienæ videntur ; ita tamen animadvertist commodity historiae , quæ vetustatis lux traditur , testis temporam , vita memoriae , constitui conferre id otii , quod superest , ad scribendam universam historiam eorum , quæ a creatione Mundi usque ad tempora nostra memoratu digna gesta fuere . Etsi existimem in tanta scriptorum turba , qui ante me scriperunt , opus meum fama & auctoritate defecturum ; juvabit tamen me orbis initia gentiumque pene omnium facta simulacra dicta memoratu digna , ac Principum , & temporum orbiumque & locorum mutationes pro posse referre , & meipsum consuluisse . Nec immensi operis res , & supra tempus annorum sex millium originem trahens ab incepto proposito deviabit , cum aliorum Scriptorum volumina iter allatura sint . Non tamen omnia pleno stylo & difusa oratione , quæ apud alias latius scripta sunt complector , sed ut quam breviter cognosci possint , ab illustribus collecta auctoribus perstringere constitui , ut negotium aliquod sumere volentibus longæ inquisitionis labor absit . Opus autem ipsum annalium , circa quod jam ultra tria lustra versatus sum , illi id totum temporis , quod a foro & negotiis familiaribus supererat impartitus , tibi Ioanni Galeazia Sfortiæ Vi-

ceco-

[1] Maximam fane laudem iure meritoque sibi mercatus est *Boſſius* , utpote qui in conſcribenda patria historia , ceteris omnibus concivibus suis faciem prætulerit , ac iter ad maiora patere inf-

ferit . Hanc Epistolam eo libentius damus quo ab *Saxio* in toties laudata *Hift. Lit. Med. pyc-*
termisiam vidimus .

